



transferuntur. Unde illa motuum plagarumque post concursum permutatio. Eadem est Causa Vibrationis pendulorum toties repetitae, et paullatim evanescens, quod aetheris impellentis, particulari condensione et dilatione collecti, et se restituens impetus etiam ultra gravitatis sua conatum rem correptam effert, atque ita delapsam rursum in alterum latus attollit, ac mox dispersus et evanescens denuo ab alio aethere minus jam Elastico dejici sinit, quae res ad quietem usque reciprocatur, ut proinde pendulorum chordarumque vibrantium eadem causa sit. Hinc et Isochronismi vibrationum ratio redditur, nam quanto altior lapsus, tanto fortior; ergo tanto major compressio; ergo cum altitudine minuitur compressio; compressio autem est causa restitutio-
nitis, restitutio celeritas relabendi. Altitudo ergo et celeritas, seu vis et spatium simul minuuntur. Jam si tanto minus est spatium spatio, quanto minor vis vi seu celeritas celeritate, motus erit isochronus, seu eodem tempore absolvetur. Idem igitur aether ex re in quiescentem vel occurrentem impingente transfertur in quiescentem vel occurrentem et deserit impingentem, unde illa di-
varicatio seu permutatio viarum aut celeritatum Hugenio-
Wreniana, de qua pluribus exemplo lucis in Theor. mot. problem.
11, quae si duplex sit, suos quaque radios per idem foramen, eodem tempore inconfusos mittit. Porro ex dictis intelligi potest, cur motus violentus initio aut fine sit debilis, in medio fortis, seu cur aliquamdi crescat, mox rursus decrescat. Pone, lapidem aut glandem plumbeam a me vel pulvere pyro projici; initio crescat celeritas, quia qui motus projecto est violentus, projicienti est naturalis, musculi enim mei instar arcus tensi relaxantur et se magna vi in statum naturalem restituent: par est pulvris pyri ratio, cuius compressa substantia ostio ab igne aperto erumpit. Jam motus naturalis rei se restituens continuo crescit, idem ergo motus se continue accelerans projecto imprimitur, quem id tamdiu exercet, quamdiu ad superandum aerem satis forte est; at ubi aer se recollegit, et reagere ac restituere se incepit, motus iste restitutionis in aere est similiter naturalis et acceleratus, ac proinde decrementum impetus projecti cum incremento reagentis acceleratur. Caeterum, ut pergamus, habet et hoc difficultatem, si abstractas motuum rationes intuearis, quod experientia docente, res major praeponderat minori, et longe fortior est impetus a re magna, quam parva; cum tamen in libero

naturae statu in contiguis nihil referat ad motum quanta sit longi-
tudo, in continuis per Theor. mot. 23, 24. ne hoc quidem quanta
sit crassities aut latitudo. Sed sciendum est, Corpora sensibilia
continua et contigua videri potius, quam esse: unde cum pars
majoris prima impetum adversarii minoris suamet internecione fre-
git, altera discontinua, etiam a novi aëris aetherisque allapsu
animata, recentibus viribus superveniens, facile vincit. At in con-
tinuis omnium partium impetus simul consumitur. Unde bene-
ficio divisionis res non contemendae in mechanicis geri pos-
sunt, quod me usu ipso aliquando demonstraturum confido.

24. Ex gravitate porro per accidens sequitur levitas minus gravium, totaque doctrina Hydrostatica ab Archimede primum constituta. Cur lignum levius aqua? quia in ligno plus aetheris quam terrae. At cur ideo lignum in aqua ascendit, aqua minor in majore, etsi ipsa levior, non ascendit? quia, aqua etsi gravitet in aqua, tamen ob contrarium in quolibet puncto sensibili a qualibet et in quamlibet rectam curvamque lineam in liquidis gravitationem cylindrorum imaginariorum innumerabilibus modis assignabilum, mutuo tollitur gravitatio, aut disponit
natur liquidum paralleliter ad horizontem. Ergo heterogeneum in aquam delatum, cum tantum aquae attollat, quantum spatii capit, faciet cylindrum, in quo est, aliis pondere inaequalem, et proinde subsidet, si ea gravius est, sin levius, attolleatur. Similiter si quid detur aere vicino levius, in aere attolleatur usque dum ad regionem aëris altiorum et subtiliorem et proinde se leviores pervenerit, ubi pendebit: quae etiam ratio est, cur nubes in aere pendent, et fumus ascendet. Si quid ergo arte humana parari queat aere levius, spes est per-
veniri ad artem volandi posse. Parabitur acutissimi Lanae,
tum et Vossii sententia, si detur vas concavum tam grande, ut aër
intus conclusus continentis seu vasi per se sumpto preponderet:
aere igitur, noto jam artificio, exhausto et hermetice sigillato vase
(pone vitrum esse) erit totum vas aequalis spatii levius. Jam
quicquid liquido aequalis spatii levius est, in eo ascendit: ascen-
det ergo datum vas in aere. Et ut rem ad calculos vocemus
(Lanae enim minores sunt), esto bulla vitrea tam exigua, ut aqua
contenta et vitrum continens circiter aequi ponderent; hujus semi-
diametrum velut mensuram magnitudinis appellemus (a), pondus
sive vitri sive aquae, quod per hypothesis idem est, velut men-
suram ponderis destinati appellemus (b). Denique ex doctissimi



Boylii et aliorum observationibus supponamus, aërem esse aqua millies leviorem. Jam esto bulla vitrea vitro aequo crasso constans millies major priore, seu cuius semidiameter sit 1000 a., erit superficies sphaerica seu vitrum contemens in duplicitate ratione radii majus vito bullae mensurantis ac proinde ponderabit 1000,000 b. Et aqua bullae hujus erit in triplicata ratione radii major aqua bullae mensurantis ac proinde ponderabit 1000,000,000 b. Ergo si bulla haec non sit aqua, sed aëre plena, cum aër sit millies levior aqua ex hypothesi, ponderabit tantum 1000,000 b. Et proinde aequiponderabit vitro bullae. Exhaustra jam bulla aëre, quantum possibile est, tantum circiter ponderabit, quantum aëris parisi spatii. Et si sumatur bulla radii 1500 a., et exhauriatur, notabiliter erit levior, quam aëris parisi spatii, et proinde in eo ascendet. Si major sit proportio aëris ad aquam, tanto major fiat bulla. Sed an bullae tantae magnitudinis commode fieri, et penitus et sine ruptura exhauriri, et durare possint, ego in me non suscepserim.

25. Inter species igitur gravitatis est et aërostatica, ex qua dependet totus ille syphonum, antiarum, baroscopiorum apparatus, et si Elater accedat, de quo mox §. 27, quicquid stupendi aëre compresso exhaustoque patratur. Nimur gravia in suspenso manent, gravia sursum attolluntur, non metu Vacui, alioquin possent attolli in infinitum, quod experientia refutat, sed quoque nondum habetur aequilibrium cylindri aërei totius atmosphaerae. Nam aqua in antlia non sequente, sequetur cylindrum aëreum pistillo antliae latitudine aequalem vel comprimi vel eo usque attolli debere in liquidum aetherem ex sphaera sua, quanta est antliae longitudo. Quia tantum spatii in antlia, aëre (etsi subeat subtilissimus aether) vacuum aut certe valde exhaustum relinquitur. Par est Baroscopii ratio.

26. At unde tanta vi aëris exhaustus in vasa irrumpit? Quero eodem modo, si in media aqua vas clausum statuas, mox vasto foramine aperies, cur irrumpet aqua? nisi propriae gravitatis. Ergo eodem et aëris. Aqua tamen tardius et non sine resistencia irrumpit, quia aëris ei expellendus est, cui difficultas exitus patet. At aëris irrumpens in locum se vacum, aethere vi illuc intruso plenum, non tantum non impeditur ab aethere, sed et juvatur, quia aether praeter morem suum illuc collectus in locum, in circulatione sua impeditur, et exire, etsi pori pateant, non potest, nam etsi vacuum detur, magnum tamen vacuum non datur:

locus igitur ei ab aëre desertus replendus est. Concurrent ergo GRAVITAS Cylindri aërei, et ELATER seu vis aetheris se in debitam sibi circulationem dispergentis.

27. Par est ratio de aëre compresso et collecto, ut sclopetis pneumaticis onerandis contingit, nam ea res non potest explicari gravitate aëris; est igitur explicanda Elatere, seu explicandi sese appetitu. Is explicandi se conatus non est ab aëre, sed ab aethere: nam cum aëris constipatur, multis ictibus ei aether exprimitur, prorsus ut corporibus in mortario succus. Apertura rursum facta aether circulationis prius disturbatae, nunc in ordinem redeuntis celeritate, maxima rursum vi subintrat, aëremque in pristinam raritatem dispergit. At cur ita turbatur circulatio? quia aëre exhausto aether colligitur in justo majorem quantitatem in vase; aëre compresso, aether expressus in justo majorem quantitatem extra vas. At illa justa major quantitas aetheris impedit aetheris Circulationem circa centrum terrae, ubi proprius est centro circulatio, quia quanto proprius est centro circulatio, ut apud nos, tanto circuli sunt minores, tanto igitur omnia arctiora esse debent. Hinc quorsumcunque transtuleris vas exhaustum vel discentum, etiam si mille leucis abieris (add. infr. §. 48) a loco exhaustionis, si eodem tantum in circulo seu eadem circiter distantia a centro terrae maneas, perseverabit (imo si ad centrum proprius accedas, augebitur) Conatus aetheris circulum suum in debitam densitatem restituendi. Nec refert, quod a nobis circa vas exhaustum nulla sentitur constrictio aëris aetheris, hoc enim fit eandem ob causam qua efficit, ne urinatores sentiant pondus maris, et nos aetheris motum, ob mutuam in liquido partim resistantiam seu conatum utrinque sublatum, qui et in fornicate operi lapides, et in genere in rebus bullas continet. Neque vero abuterim, quod diligentissimo Boylio probabile videtur, partes aëris velleris instar aut spirarum habere, ut compressae se restituant, dummodo illud ex abstracta motus Theoria teneatur, nihil utcumque flexum sese propria vi restituturum. Neque tanta vis esset in Elatere aëris, quantam in natura hactenus cognitarum potentiarum certe maximam sentimus, si comprimerentur tantum villosae aëris partes, neque aucta compressione vel exhaustione augeretur perpetuo impetus, nisi ipse systematis status turbaretur.

28. Exhalationum contra naturalem gravitatem sursum levatarum haec ratio est: Mare, ut ingeniose Becherus sentit, par-



tem suam bituminosiorum et graviorem per fundum spongiosum perpetuo distillat ad centrum terrae seu interius quoddam globi nostri receptaculum vel aestuarium universale. Ibi digesta ac vellut fermentata haec sulphurea et bituminosa massa, vapores, id est, rariora, ac leviora proinde, quam illius orbis centro vicinioris, atque adeo densioris, status ac circulatio fert, emitit per terram, ex quibus aquae, quippe subtiliores, leves, vacui, altius exirent, et partim in fontes resolvuntur, limo apto velut alembico capti, vel aperto exitu abeunt in aere, et meteora constituant.

29. Quanquam eos et subtilem quandam unctuositatem seu sulphur etiam in aere usque secum vehere non negem. Et pars unctuosior vel a lapidibus vel a terra illa superiore hortensi intercepta, illic in metallis, hic accidente solis sublimatione in herbas, arbores, fructus, semina abit. Fontes plerosque a cisternis illis supermontanis et submontanis nivium aut pluviarum collectarum oriri cum Hobbio, Derkennio et in omni eruditissimum genere versatissimo Vossio non dubito; nonnullos tamen vaporibus subterraneis deberi, ab his etiam omnes aquarum virtutes minerales, imo et certas specificas simplicium vires repetendas Chemicis, fratri Basilio, Groschedelio, Helmontio, omnino assentendum putem cum sol et aer, agentia et patientia universalia, solo terrae subjectae statu, si lucem jam propiorem et rectam, jam obliquorem et remotam addas, varientur.

30. Hactenus de totius globi phaenomenis, nunc ad specierum apparentias veniendum est, quae tamen fere e phaenomenis globi oriuntur. Porro specierum phaenomena sunt vel qualitates sensibiles, vel motus, eti omnes qualitates istae sint insensibiles motus. Qualitates sensibiles sunt aut visus, aut auditus, aut odoratus, aut gustus, aut tactus. Qualitates visus sunt lux et colores. Lux est motus aetheris ad sensum rectilineus celerissimus in quodlibet punctum sensibile circum circa propagatus. Vide supra §. 7 et infra §. 56, nec sufficit propensio ad motum Cartesiana, quia omnis propensio ad motum, quam non sequitur motus, non durat ultra momentum, adde supra §. 23 et infra §. 57; porro lux est vel primigenia illa in sole, de qua §. 4 et 5, vel secundo-genita, eaque aut originalis, aut imitata. Originalis est in igne apud nos genito qui fit aethere innumerabilium bullarum rupturis acervatim disploso, de quo mox; Imitata est in speculis, tum in rebus, quae diurna apricatione radios colliguntur.

gunt, ut Lapis Bononiensis, cicindelae. Quaedam digestione fermentationem seu motum intestinum, atque inde, si sat tis fortis, vel lucem, seu ignem solo visu sensibilem, ut ligna putrida; vel etiam ignem communem, ut foenum madidum accumulatum facit, producunt.

31. Colores Emphatici experimento prismatis, reales asseveratione caeci apud maxima diligentiae virum, Robertum Boyleum, posteritati relicita, egregie illustrantur. Ajebat ille, asper rimam superficiem albi nigrique, glaberrimam rubri (etsi aliquando varians caeruleum praetulerit) a se tactu deprehendi: nigrum tamen albo asperiorum, ceteros colores, prout ab extremis abeunt, fere asperitate decrescere. Si ita est, crediderim alba luci magis convexitatem, nigra concavitatem obverttere: unde illa reflectent, haec abdcent lucem, et facies nigri minus planitie, plus aculeorum habebit. Coctio item rubedinem faciet, quia inaequalitates abradit. Sed haec obiter; nostrum enim est hoc loco motus potius quam qualitates ad sua principia revocare. Tenebrarum nullum proprium effluvium esse, sed apparere tantum distantia vel hiatu inter partes sensorii a luce affectas notato, vel hinc concluseris, quod nullis speculis aut lentibus colliguntur. Adde hoc: ubi multum humoris aquei, multum nigoris, quia is totus alcalizatus seu vacuus, de quo infra, ergo perspicuis, ergo lucem admittens, non reflectens; adde et colores in plerisque non a sola reflexione, sed etiam a subili quadam luce seu igne proprio immixti, non minore, quam odorum effluvia, perpetuitate disploso, etsi raro in tenebris sine alia luce oculos moveante, fortasse variari nonnunquam posse.

32. Sonus non consistit in motu aeris, aerem enim voco illam rem, cuius gravitas in Baroscopio sentitur, quae compandi, exauriri, ponderari potest. Jam constat, exhaustis uterque et clausis vasis campanulam intus pulsatam extrinsecus audiri. Consistit ergo in motu aetheris, sed moderato et in circulos abunde, ut lapide aquae injecto videmus, cum lux consistat in recto et recto partis subtilioris. At odor in aere consistit: cum enim aer sit aqua subtilis, fit ut allapsu suo non minus subtiles salium partes solvat, quam aqua crassas. Ut igitur sapore percipimus salia crassa in aqua, ita odore subtilia in aere soluta, ut proinde nares sint os illud, quo aerem gustamus. Sal autem, ne de voce quaestio sit hoc loco (infra enim





longe alio sensu vox usurpat) voco cum Gebero, quiequid liquore aliquo soluble est.

33. Sciendum est autem, nullam ejus generis solutionem, quae sine reactione fit, centralem esse. Centralis enim solutio fit bullarum centralium apertura, unde actio et transformatio, de quo mox; superficiaria contra non nisi bullarum superficiarum apertura, centralium disgregatione, quod re liquida proportionata sese poris insinuante contingit, unde mox alio dissimili superveniente praecipitatio: superficiariae autem bullae sola fusione crassa, et sensibili, et externa, sed debili fiunt, unde metalla soluta reduci possunt igne in corpus, centrales insensibili quadam et interna, et, quandiu clavem non reperimus nec naturae arcana excausimis, lenta, sed firma fusione formantur, quamquam et natura saepe species similares in instanti producat.

34. Caloris eadem est causa, quae lucis, solo subtilitate discrimine. Utrunque et oritur a motu intestino in se redeunte, subtiliora sui ejaculante, vid. sup. §. 7, et eum facit. Unde et raritas et congregatio homogeneorum. Contra frigus, quod constringit, oritur a motu quodam fortis, et recto, sed crasso, unde obtundente, non penetrante, ac proinde non solvente, sed constringente. Dura autem aut alioqui densata et conferta sunt pleraque frigida, ut marmor, metallum, mercurius, quia pori sunt angusti, per quos transit aer seu ventus: unde ventus frigescens constringitur colligiturque, prorsus quemadmodum in civitatibus angiportus plurimum semper frigoris habere solent. Unum addo ad maiorem rei lucem, impressionem calidi et frigidi differre, ut in eadem hasta punctura praearcuto spicula facta, a rudi capuli lignei ad perforandum impactura. Caeteras innumerabiles qualitatum tactus varietates ingredi, non est hujus temporis, cum pleraque a superficiaria magis, quam centrali rerum constitutione orientantur, fontes tamen explicandi attigimus infra §. 59. Transeamus ad corporum motus extraordinarios seu physicos, qui ex gravitate seu principiis mechanicis, quantum sensu appetat, non oriuntur.

33.*) Hos obiter partior in sympathicos et antipa-

*) Die doppelte Zählung der §§. 33 und 34 findet sich in der Originalausgabe; sie muss beibehalten werden, um die Citation der §.

thicos. Sympathici sunt verticitas et attractio. Illa est in linea circulari, haec in recta; illa ad certum globi punctum circa centrum suum, haec ad certam rem. Verticitas est non in magnete tantum, sed et in plerisque rebus, etsi impari gradu, nam alia alijs aetheri pervia, ac poris suis motui ejus proportionata sunt, magnes ferrumque prae caeteris, ob frigoris amorem nativum diurnumque in fodina versus polos situm. Sed is Boreae amor ad directionem tam constantem tamque universalem, nisi causa universalis ubique praesens, id est circulatio aetheris accedit, sufficere non potest: verticitas igitur, seu ut librata inter polos globi nostri extrema sua constituant, videtur fieri a motu aetheris ab oriente in occidentem, supra §. 9, 10, qui prohibet, ne extremitates orienti occidentiae directe aut oblique obvertant, restat ergo septentrio et meridies. Quae vero in hoc verificatis negotio particularia se phaenomena offerunt, examinare a praesenti brevitate alienum est.

34. Hoc tamen omittere non possum, cum omnis consistentia seu cohaesio corporum oriatur a motu, corporum in toto quiescentium oritur a partium motu, in se (ne avolent) redeunte, id est circulari; vel potius ob coarctationem, quandoque elliptico, per abstractam motus Theoriam; hinc corpora eum motum ita exercere, ut commodissime possint; possunt autem commodissime in eam plagam, qua motus aetheris non obstat, ergo versus polos globi terreni, quia motus aetheris non est versus polos, sed circa polos. Item porro motus partium suos corpori proprios polos polarumque diversorum et polis affrictorum antipathias constituit. Poli magnetis appellantur, quia polis terrae respondent, quamvis non sint in axe intestini motus magnetis, sed potius in aequatore: quia tamen is motus partium non est parallelus, sed fit circulis in polo se intersectibus ad instar meridianorum, hinc nova cum polis terrae similitudo. Jam rotetur Sphaera, vel saltem Orbis aut annulus circa axem horizonti perpendiculari, et tangat in aequatore aequatorem alterius sphaerae, vel orbem saltem, aut annulum similiter rotabilem; imprimet ei motum suum, sed in contrariam plagam: nam si prior moveatur ab oriente per septentrionem in occidentem, posterior movebitur ab oriente per meridem in occidentem, seu ab occidente per septentrionem in orientem. Sed quae in plagiis contrarietas est, in motu non est, transferantur enim sphaerae vel annuli permuto situ, retento



motu, erit convenientia in plagiis, motus sibi obstabunt, quia et punctum retentum unius tangit punctum oppositum alterius, nam si utriusque oppositum sumatur, rursus obstaculum cessabit. In magnete autem tot singendi sunt annuli, quot meridiani, id est ad sensum infiniti, sed qui omnes in uno puncto motus seu affrictionis se intersecent, quod non magis difficult est, quam radii luminis transeuntes per idem foramen inconfisi; hac porro affrictione transfertur et motus, et qui, exempli gratia, parti boreali convenit, situs; et quia in opposito puncti accipientis se circuli rursus intersecant, acquiretur et ibi situs, quem habet in dante oppositum punctum puncto danti, nempe australis. Sed haec in affrictione; caeteroquin similes poli se repellunt, ratio est, quia alterutris situs est praeternaturalis. Caeterum in ipso globo terreno credibile est, similes magneticis motus esse subtilium partium fortiori lucis sub Tropicis motu rejectarum versus polos per meridianos (quod nec a celeberrimi Kircheri sententia alienum videtur), cuius motus impressionem praeterteris magnes et ferrum, genuina terrae soboles, receperunt. At quae inclinationis magneticae ratio, qua acus levata vel depressa poli elevationem monstrat, nulla alia, cum quilibet magnes et quilibet acus quasi afficti censendi sint polo telluris, quam quae limature ferreae magneti impositae, que alteri polo vicinior illuc inclinat, in medio posita quiescit aut vacillat. Unde referente Kircherio cum sub Lineam ventum est, acus magnetica innumerabilibus oscillationibus titubat. At quod idem addit ultra Lineam non amplius acum inclinatione sua poli elevationem monstrare, hoc nondum satis capio; ipsa facti ratio magis pervestiganda est, ut de causa constare possit, cum certe polus magnetis, qui cis Lineam polum telluris nostrum respexit, eundem et trans Lineam respiciat, ut ajunt. Sed et illud difficile est, quod si Terrellae polus articus superi imponitur libraturque, eundem ubique meridianum terrella obvertat polo telluris, sed ita ut si polus antarcticus imponatur, punctum quod prius fuit orientale, fiat occidentale. Tentandum esset ultra Lineam arctice an antarctici impositione, quod hic orientale punctum est, ibi quoque orientale sit; quemadmodum illud quoque, quod ex eadem ratione pendere videtur, an ferrum diu perpendiculariter pendens, quod hic partem inferiorem polo arctico, si libretur, obvertere affirmant, si trans Lineam pependerit, eandem antartico obvertat. Quae cum non sint explorata, de ratione comperendinan-

dum puto. Cum autem tam regularis tamque fortis sit in magnete motus, non est mirum, aërem, qui ei gravitate sua impingitur, ab eo rejici, eoque mediante motum ferro communicari, quod sicut dispositum impressionem facile recipit. Idque non chordae tantum tensae alteri similiter tensae sonum per aërem communiantis, sed et eo experimento constat, quod vitrum, cuius sonus pulsu exploratus est, si similis ab astante sonus edatur, etiam non tactum resonat. Quaelibet ergo actio magnetis etiam in distans ferrum quaedam insensibilis affrictio erit. Movet ergo magnes ferrum, sed cur ad se movet seu trahit? quia ferrum expletur seu perficitur his radiationibus, ut alcali acido proportionato; his ergo sorbendis magis magisque accedit, et ita fonti ipsi seu magneti propinquat.

35. Igitur attractio ferri per magnetem facilis explicatu est, explicata tractione Electri, differunt enim subtilitate tantum, unde attractio magnetis nec frictione indiget (quamquam politura juvetur) et crassa corpora penetrat. Attractio electrica meo iudicio facile explicari potest, explicata attractione quæ fumus attrahit ignem. Nam, ut pueris notum, candela fumante ardenti ita supposita, ut fumus illius adflammam hujus pertingat, descendit ignis per scalas quasi fumi, et extinctam recens candelam reaccendit, quae etiam fulgoris causa esse potest. Hujus vero Electricae, et fumariae attractionis hoc solum discrimen est, quod haec ipsa forma sui, illa non nisi effectu sentitur. Descensio ignis per fumum videtur fieri eodem modo, quo ascensio aquae per antlam, vel potius irruptio aquae vel aëris in recipiens evacuatum. Nam fumus nimis dispersionibus exhaustus, quod in igne jam collectum reperit, resorbet: nihil aliud enim flamma est, quam fumus ignitus, et fumus quam flumen partium volatilium (ut cinis sedimentum fixarum) exhaustarum, unde illud in fuligine alcali volatile, in cinere fixum; sed de his alias exquisitius.

36. Antipathicus motus (de sensu et apparentia loquor, nam si interiora species, nulla est in corporibus nec antipathia nec sympathia) est reactio, cuius subtilissimis varietatibus in natura rerum pleraque peraguntur. Reactionum soleae proponendum antiquis notae: deslagratio (quo pertinet pugna ignis et aquae) et fermentatio. At Chemici nostri non tantum fortissimam illam pulveris ceraunochrysi, quemadmodum et antea sulphuris et



nitri, sed et innumerabiles alias detexere, atque ipsi agnoscunt potissimum naturae instrumentum esse reactionem.

37. Hinc jam ille veterum Chemicorum albi et rubri, seu masculi et foeminae amplexus, hinc Basili Valentini pugiles, Paracelsi; Gas, Blas, Archaeus Helmontii; Humor Sylvii Triumviralis, perfectum et imperfectum Glauberi, Acidum et Alcali Tachenii, acidum et salsum Travagini, quae omnia certum est recidere eodem.

38. Hinc illud Basili:

Quae duo, quae tria sunt, eadem rediguntur ad unum,

Quod si non capias, sunt tibi tota nihil.
Sed pleraque ita intricate, ita ambigue proponuntur, ut constantes terminorum definitiones vix ac ne vix quidem hactenus impetrare licuerit. Quam variationem doctissimus Boyleius in Chemista sceptico egregie exagitavit.

39. Igitur revera duarum in globo nostro rerum tantum reactio est: Exhausti et distenti, seu ut cum Democrito loquar, vacui et pleni: atque haec est unica origo omnis fermentationis, omnis deflagrationis, omnis dispersionis, omnis pugnae inter ignem et aquam, acidum et alcali, sulphur et nitrum.

40. Causam non est opus diu quaerere post Hypotheses nostras praeconsitutas. Nam §. 26, 27 ratio redditia est, cur aer compressus tanta vi se restituat in libertatem; contra, cur locus aerem exhaustum tanto impetu resorbatur? Cum ergo aqua nihil sit nisi congeries bullarum innumerabilium exhaustarum, et ignis totus substantia turget, eae permixtae atque ipso lapsu, motu aut gravitate collisae rumpentur, et maximo impetu altera exonerabitur, altera sorbebit. Idem de omnibus aliis reactionibus dicendum est, magnitudine tantum bullarum et multitudine, et situ, et figura, variatis.

41. Nam si bullae sint Evanidae, et, ut sic dicam, aqueae vel aereae, ut in imperfecte mixtis, nullum sit ex reactione mixtum sensibile, sed cuncta disperguntur. At si bullae sunt terreae seu vitreae, excitatur ipso reactionis calore fluxus quidam novus, seu fusio insensibilibus istis velut follibus inflata,

et ex dissilientium bullarum fragminibus aliae, sed dissimiles reconfiantur, unde novae speciei ortus, et centralis rerum mutatio.

42. Haec jam cum Chemicorum principiis non difficulter conciliantur, quae notum est illos dividere in nucleus et corticem. Nucleus constat decantatis illis triumviris, cortex terra mortua et phlegmate. Cortex et ipse totus componitur ex bullis, uti omnia corpora sensibilia, sed minoribus et dispersioribus, quam ut effectus sensibiles producantur: maturatur tamen paulatim, id est, subtilibus quibusdam fusionibus vel a sole vel aliunde ortis, ex bullis minoribus pluribus (quod et in aqueis sibi appropinquantibus experientia docet) fiunt pauciores maiores, unde nucleus ex cortice et oritur et lente nutritur.

43. Scendum est enim, ut praecleari illi Micrographi, Kircherus et Hookius, observare, pleraque quae nos sentimus in majoribus, lyncum aliquem deprehensurum proportione in minoribus, quae si in infinitum progrediantur, quod certe possibile est, cum continuum sit divisibile in infinitum, qualibet atomus erit infinitarum specierum quidam velut mundus, et dabundatur mundi in mundis in infinitum. Quae qui profundius considerat, non poterit non extasi quadam abripi admirationis transferendae in rerum Authorem.

44. Hinc jam appareat Anaxagoreae cuiusdam infinitae δύναμεις cum nostra de paucis rerum elementis sententia conciliatio: etsi enim verum esset, putredinem esse insensibilem verminacionem, et situm insensibilem fructicationem, et aerem esse aquam insensibilem, et frigus esse aerem conglaciatum, et ignem esse sulphur subtile, et aquam esse nitrum subtile, et animalcula illa putrescentia rursus resolvit in alia minora, et sic, ut lubet, in infinitum; haec, inquam, etsi vera essent, uti ex parte fortasse sunt, non tamen sufficienter reddendis rerum causis, cum exemplum potius seu analogia afferatur, quam causa. Nam ubique restabat sine fine quaestio, nec minus impedimentum erit, cur secundum seu subtile nitrum pugnet cum subtili sulphure, quam cur primum seu crassum cum crasso. Nos vero rationes reddidimus etiam illis, si quae sunt, in infinitum replicationibus sufficietas.

45. Sed ab Anaxagoristis, ita enim pace eorum doctissimos illos Micrographos appellare licet, ad Chemistas nostros redeundum est. Ac de cortice quidem diximus, qui ad sensum aere et aethere

neque vacuus neque plenus, sed fere indifferens ac proinde iners (etsi lateat semper in illo quoque virium nonnihil) terra atque aqua potissimum constat, sed nucleus sensibilibus effectibus demonstrat impregnationem suam. Ubi facile cum illis transigi potest, qui duobus principiis contenti sunt, uti veteres chemici fere omnes sulphure et mercurio, seu masculo et foemina, vel, ut Tachenius aliquie vocant, acido et alcali. Nam bulla aëre exhausta (et contra aethere distinta) est alcali, foemina, et (sensu veterum chemicorum) mercurius; bulla aëre distinta (et contra aethere exhausta) acidum, sulphur, masculus. Nam quod aethere tantum plenum est, sensibus vacuum est: jam alcali potius quam acido adscribendam vacuitatem, Glauberam, Tachenius, aliisque facile, opinor, mihi assenserint. Cum ea, quae ipsi alcalia vocant, pleraque sint perspicua, tenuia, levia, fluxum et vitrificationem juventia, ut nitrum, ut sal tartari, ut ossa; acidi sint opaca, aut potius colore saturata, densa, gravia, ut oleum sulphuris vel vitrioli, ut vinum, ut sanguis. Sed haec tamen variant, admirabili quadam rerum in se invicem implicatione, ut proinde instantia quadam in contraria reperta conciliatio potius quaerenda, quam totius Hypotheseos eversio cogitanda sit. Unde etiam eadem res in comparatione ad diversa, modo acidum, modo alcali esse potest, acidum vacuatoribus, alcali plenioribus: et solent plerumque interiora rerum exterioribus contraria esse, et per fermentationem interiora extrorsum verti.

46. Ne igitur levi aliqua specie repugnantis experimenti commotus lector totam statim harmoniam turbet, cum tamen plerumque experimenta, ut in motu ostendi, ab intimis rerum principiis prima specie valde dissentiant, nec nisi multo oeconomiae universalis artificio, admiranda Creatoris sapientia rerum ortus involvente, concilientur; ostendum est a priori breviter, hypothesis nostram paulo plus aliquid quam hypothesis esse. Primum enim non nisi bullis atque vasis subtilissima corpuscula coērceri possunt. Duo igitur summa genera corporum esse necesse est: continentia et contenta seu contentilia (neque enim negarim quaedam extra bullas volitare, etsi forte et ipsa rursum constantia minoribus bullis, vide infra §. 60), solida et liquida, bullas et massas.

47. Massarum motus motui universalis terrae, aquae, aëris, aetheris (neque enim alterius ejusdam massae grandis statuendae necessitatem reperio) conformis est: bullae aliquid proprii sibi

servant, et specierum fundamenta locant. Sunt autem bullae naturales aut violentae, seu ordinariae aut extraordinariae. Ordinariae et naturales sunt, in quibus tantum massarum aliarum, terrae, aquae, aëris, tantum item aetheris, quantum locus fert, in quo bulla sita est. At si bulla nimium aetheris habeat, aëre, aqua, terra justo vacuator, vel contra nimium aëris, justo minus aetheris, constituantur bullae extraordinariae et violentae.

48. Ordinariarum nulla extra ordinem actio est, et quiescent, nisi quatenus abripiuntur motu massarum universantium. Si quid enim extraordinario quodam motu cieatur, mox statim eum amittet, cum sit ei perpetuo cum totius massae universalis torrente confligendum. At bullae extraordinariae utcumque motu universali abripiuntur, quamdiu non rumpuntur tamen, motus ejusdem extraordinarii, ruptura exerendi, vim secum gestant, prorsus ut vasa aëre exhausta aut distenta hoc illuc circumgestata, quanduncunque aperta, aut exonerant aëre, et sorbent aetherem, adde supra §. 27.

49. Utrumque genus bullarum ordinariarum et extraordinariarum vel exhaustarum vel distenterarum, in crassas et tenues, seu aquae et terreas vitreasve dispescitur. Et quamvis ex Micrographorum observationibus dentur continuo aliae aliis minores, manebit tamen semper eadem proportio: cum aquae aëreis comparatae sint terreae, et aëreae ad aetheras eandem proportionem habeant, et nihil prohibeat dari alium aetherem, de quo nobis nec suspicari licet, aethere illo quem ratione et experimentis colligimus tanto superiorem, quanto est aqua terra, aut aër aqua. Sed haec in computum nostrum, quia nihil inde phænomena variantur, venire non possunt. Hinc jam appareat, bullas in universum ordinarias, exhaustas, distentas, rursus non solum in debiles et firmas, imo si lubet, medias, sed et in magnas et parvas, imo et rursum, si lubet, medias (multiplex enim hic inter extrema latitudo est) discerni. Figurarum multitudinisque varietates et sunt innumerales, et nihil conferunt ad summam rerum.

50. Hinc jam illa absoluta Paracelsistarum sive quinitas sive trinitas valde suspecta redditur. Nam ut de inertibus, phlegmate et terra damnata, quæ fere bullis ordinariis (phlegma aqueis, terra damnata vitreis) aut extraordinariarum



44

nimis parvarum, vel utcunque magnarum, tamen paucarum, ordinariis involutarum, confluge constant, nihil repetat; forte tertium illud mercuriale principium est jam alcali, jam acidum volatile, add. infr. §. 60, ut proinde verear, ne quaternionem utilium principiorum habituri simus: bullas exhaustas majores, seu a'cali vel sal fixum; bullas distentas majores, seu acidum vel sulphur fixum; bullas exhaustas minores, seu alcali volatile; bullas distentas minores, seu acidum volatile. Quin'imo an medium detur aliquod inter fixum et volatile, quae sit etiam trium, ut vocant, regnorum varietas; experimentis, at non pancis, non quibuslibet, sed multis magnisque inter se collatis dijudicandum.

51. Neque ego hoc loco divinatione praepostera me prostituere volo, quanta enim rursus esse potest in exhaustionis constipationisque gradibus varietas? et hic certe Hypothesin condituro, nisi temerarius haberi affectat, subsistendum est; specialior enim applicatio ab experientia pendet. Credidi tamen semper admirabilem Conditoris sapientiam ita res instituisse, ut paucis multa gerantur. Unde si somniandum esset, dicere, duorum istorum naturae instrumentorum, distenti exhaustive, ter ternas in summa varietates esse: utrumque esse minime, mediocriter, maxime exhaustum distentumque, atque horum rursus unumquodque subtile, medium, crassum. Schema hoc esto:

45

B u l l a	debilis seu aqua firma, seu terrea, vel vitrea debilis est	parva, levis, subtilis crassa, grandis, gravis	Ordinaria Exhausta
Variatio continentis in crassitudine	firma "	perfecte mixta regni animalis	minime
Variatio continentis in amplitudine,	subtilis "	differunt quantitate seu mole.	mediocriter
Variatio contenti in plenitudine et vacuitate aliqua vel multa	media "	vegetabilis	maxime.
Variatio contenti in plenitudine et vacuitate majore vel minore.	crassa "	minerals	
B u l l a	ordinaria,	indifferens sterilis activa, foecunda seu seminalis	
extraordinaria	extraordinaria	differunt qualitate passiva.	
debilis ordinaria	debilis ordinaria	differunt qualitate activa.	
firma ordinaria	terre dampnatae	plegmatis	
exhausta extraordinaria	alcali, tingibile, foecundum	differunt qualitate.	
distenta extraordinaria	acidum, tinctum, masculinum	semen, differunt agendi modo.	
distenta	salina seu obussuma		
minime	sulphurea seu media		
mediocter	mercurialis seu activissima		
exhausta		differunt actionis gradu.	
maxime			



52. Igitur sunt quatuor massae grandiores seu elementa, indefinitae replicationes seu homoeomeriea; principia componentia indeterminata, ob gradum varietatem, deinde ob Analyseos per se impossibilitatem, unde plerumque ex resolvente, igne, menstruali etc. cum soluto decomposita fiunt: imo vix illa componentia haberi debent, quorum reconjunctione res regeneratur, nam haec quoque ipsa illa conjunctione destrui solent, et solutione generata sunt. Manet tamen duo principia utilia esse, tres $\delta\omega\delta\epsilon\tau\alpha\epsilon\iota$ principiorum utilium gradus, tria regna. Regna differunt partium solutione, subtilitate et varietate; gradus evocatione, et coctione, et virtute. Quanquam plerumque quae virtute aucta sunt, et subtilitate augeantur, unde et in regno animali activitas major, sed et evanescentior.

53. Methodus medendi, his ita positis si pergere conjectando licet, huc redit, ut acida alcalibus et contra, sed gradu similibus, carentur. Ergo acidum mercuriale curabitur alcali mercuriali, acidum sulphureum alcali sulphure, acidum salinum alcali salino, summum venenum frigidum seu alcalizatum summo balsamo calido vel acido, et contra: ita contraria contraria substantia, similia similibus gradu curabuntur. Et quia fortasse tres illi mercurii, sulphuris, salis gradus rursus magnum habent latitudinem in se ipsis, tum inter se, et sunt alia aliis mercurialiora aut salsiora: hinc jam non quaelibet acida quibuslibet alcalibus, quaelibet distinta quibuslibet exhaustis, sed proportionata proportionatis (unde sympathicae illae, aut antipathicae, seu specificae medicamentorum quorundam vires) experientia discernendis curantur, prorsus ut duobus recipientibus vitreis, altero pleno, altero exhausto, per orificia junctis, nisi justa in pleno quantitas sit, repleendo exhausto, aperto epistomio communis, ruptura sequetur. Caeterum regna sibi alimenta praebent per scalam, mineralia vegetabilibus, haec animalibus, et retro; omnia omnibus, medicinam etiam per saltum.

54. Sed haec applicatio omnis hactenus divinatoria est, et si cui displicet, nec dicta esto. Sufficit causam omnibus motibus explicandis sufficiet reddidisse, sufficit ex simplicissimis et liquidissimis et intellectu facilimis, ad hanc usque experientiae portam volatiles aliquin, et usui vita atque analysi practicae inconciliabiles Theorias deduxisse; sufficit ea attulisse, quae sectae omnes, salvis domesticis opinionibus, ferre possunt.

55. Qui negat motum terrae, motu aetheris cum sole seu luce circa terram contentus esse potest: sed et Vacuum affirmes neges perinde est, cum sponte fatear, quicquid aere exhaeritur, aethere repleri; prorsus an relictis inanitatis, nihil ad hypotheseos summam. Nec Aristoteles ejusque germanus interpres cum subtilissimo Thoma Anglo illustris Digbaeus mihi indignari possunt. Illi elementa quatuor habent: terram, aquam, aereum, ignem; ego pro igne aetherem, qua nisi vocis distantia? Nam ignis Aristotelis purus, qualis sub concavo Lunae, seu supra aereum ab eo supponitur et a me conceditur (qui aetherem credo aere superiore), vel ipso Aristotele teste non urit: recte tamen ignis appellatur, cum ignis noster ex aetheris collecti dispersique flamine fiat. Praetuli nihilominus aetheris nomen, quia ei multos alias magnosque effectus illis inobservatos adscribo. Ignis enim familiaris significatio longe alia est, et aether meus ignis communis causa potius quam materia est: quanquam contra originario vocis usu idem sit aether Graecus, quod ignis Latinus. Sed consuetudo efficit, ut corpus quoddam ipso aere subtilius aethera nominemus.

56. Porro rarum et densum recte quidem Digbaeo summa corporum differentia est, nam et illae, quas primas Peripateticis vocant, qualitates inde deducuntur. Cum calidum sit rarefactivum, frigidum densativum, humidum rarum, siccum densem, illa activa, haec passiva; et calida motu intestino forti cum subtiles radios ejaculentur, tum aereum gravitate sua innitentem rejiciant ventilentque, quae ventilatio pariter et radiatio ad alia corpora pertingens, tum poros eorum aperit, et particulis hactenus densitate constrictis liberum similis motus aut campum praebet, aut conatum si nondum habeant imprimit, unde et congregatio homogeneorum sequitur, uti metalla scoriae varie confusa, rarefaciente ignis fluxu liberata partes dispersas naturali deinde gravitate in regulum colligunt. Sed ut rarum densemque praestet, quod exhaustum distentumque nostrum, id est vim a dilatatione aut compressione se restituendi, aliud quiddam, motus scilicet aetheris, addi debet. Nimurum viro egregio reliquia Metaphysicarum notionum insedentur, unde illam rerum compressarum aut distractarum ac se restituentium vim, nescio cui appetitui innato adscribit, quo data materiae moles, etsi plus minusve spatii implere possit, omni tamen nisu, cum potest, redeat ad velut praescriptam sibi extensionem. Sed haec aucta magis magisque Philosophiae luce animis



sua spōnte cessisse arbitror, cum certum sit, ut recte docuit cum Cartesio Hobbius, eandem molem plus minusve spatiū implere non posse; etsi enim discontinuata longius latiusque extendi queat, non ideo tamen quidquid amplectitur, implet, succedente re alia in partes subtiliores motum separatum habentes, id enim est esse ratiōrem (quāquam ad extreūm sine omni vacuo res extum non reperiat, quā impossibile est in prorsus pleno motum ullum extra corpus suum agentem, et secundum lineam in se non redeuntem esse), subdivisa. Aristole, ut in p̄afatione ad Nizolum de veris principiis et vera ratione philosophandi nuper recusum docui, conciliare longe facilius fuerit, nam ille pene nequam dicit, quae ei a scholasticis imponuntur. Certe omnium causam statuit coelum, coelum autem agere per motum. Et recte, nam et Lux nihil aliud, quam rei agitatio intestina, tam fortis, ut conatus ejus extrosrum tendentes ad quolibet et ex quolibet punto sensibili directe et reflexe oculum feriant. Ab agitatiōne tam fortis, quis calorem et rarefactionem, et in opposita globi parte contra condensationem, ab his accidente aetheris motu a lucis solaris circulatione impresso, bullas et gravitatem et elaterem et ab his caetera oriri miretur? Certe formas substanciales (demamente) etiam Aristoteli non esse ens absolutum, sed tantum λόγον, rationem, proportionem, δριθμὸν, structuram partium intimam, quidquid ei scholastici imposuerint, docuere dudum Honoratus Fabri et Joh. Raeus, Viri praeter omnigenam eruditissimum ingeniosae et solidae in philosophando libertatis.

57. Nobilissimi Boylei, vim Elasticam a spiris quibusdam se restituientibus repetentis, sententiam non improbo, vim tamen illam etiam harum spirarum restitutoriam ab altiore quodam principio, id est, ut ego credo, aetheris circulatione repetendam, ipsummet, qua est ingenuitate, agnitorum credo. Nam et quod aer difficilis quam aqua caeteris paribus angustias intrat, quod eam ob rationem aqua in canali angusto et longo ultra aequilibrium ascendit, quod aqua mercurium penetrat, aer non penetrat; id etsi ad partium villositates et implicamenta retuleris, reddenda tamen rursus ratio est cohesionis implicamentorum, ultima autem cohesionis ratio, per alibi demonstrata, est motus intestinus. Ratio ergo ultima, cur aer difficilis augusta transeat, haec est, quia aer magis elasticus magisque coherens non facile dissipatur, aut per partes intrat, sed volvitur, tornatur formaturque in

unum corpus. Cur ita? quia plus in eos aetheris, plus ergo motus, restitutionis, cohesionis: aquae partes non motu, sed densitate sibi admoventur, minus ergo compressionis, restitutionis, cohesionis; facilis ergo in partes diffilit, forami permeando respondentes, ut vel hinc appareat, densitatem duritie et cohesionis causam veram non esse. Cartesii Gassendique maximorum sane virorum sectatores, et quicunque in summa illud docent, ex magnitudine, figura et motu explicandam omnem in corporibus varietatem, habent me prorsus assentientem. Credidi tamen semper, quicquid de atomis varie figuratis, de vorticibus, ramentis, ramis, hamis, de uncis, globulis tantoque alio apparatu dicatur, lusui ingenii proprii, a naturae simplicitate et omnino ab experimentis remotius aut jejunius esse, quam ut manifeste connecti cum Phaenomenis possit. Praesens autem Hypothesis corpuscula vaga et dilabentia tum inter se per bullas unit, tum motus effectusque bullarum et omnino specierum ab universi systematis unico universalis motu deducit, atque ita hinc a summis et abstractis orsa, illinc ab imis Chemicorum experimentis ascendens, in simplissimo et ex totius globi nostri statu explicabili gravitatis elateris Phaenomeno theoriam observationi mechanice magna cum claritate et harmonia connectit. Audeo dicere ac bene confido demonstrare, rationem illius celeritatis qua arcus se restituens sagittam explodit illius impetus quo pulvis fulminans sive communis sive aureus obvia omnia prosternit, ex constitutione partium corporis, nisi universalis illo ac celerrimo systematis motu advocate, explicari non posse, cum certum sit, omnem impetum oriri ex celeritate, certum etiam ex pluribus motibus tardis (nisi maxima a centro rei distantia, qualis hic nulla est) aut etiam partium insensibilium motibus insensibilibus utcumque celeribus, motum totius usque adeo celerem ac violentum oriri non posse. Evidem solet motus arctatione augeri, ut densitas corporum compressione; sed hoc ex oeconomia systematis pendet, in quo omnis motus aetheri velut suo περίτηρος φερτικός ut sic dicam, incorporatus est. Unde aucta compressione conatus intestinus se restituendi, id est aetheris ambientis sollicitatio, quia in singulas partes ducenda est, proportione augetur: res ergo sine novo ac perpetuo aetheris alapsu non potest explicari. Cum illud etiam sit inter principia Phoronimiae nostrae: virtutem, conatum, motum omnem (exceptis mentibus) semel superatum cessare omnino,



nec sua sponte resurgere, sublato licet aut imminuto impedimentoo, vide sup. §.23, 28. Unde nec per motum reciprocationis nisi aetheris sollicitatione advocata, res explicari potest, quia nihil per viam, qua venit, sponte reddit: tensa item intrinseca virtute etiam dimissa non restituuntur, etsi ea sit illorum intrinseca constitutio, ut vis aetheris restituentis in ipsis potius quam aliis operetur. Quia aer internus in duris comprimitur, mollibus elabitur, et haec ratio est, cur diu tensa tandem flaccescant, quia paullatim per subtilissimos exitus aer hinc compressus elabitur, illine distractus, novis supplementis ad statum naturalem reddit. Patiamur igitur alios a figurarum suarum varietate colorum, saporem, aliorumque id genus causas repete: at motuum pugnarumque tam admirabilium, tum in quos vulgus incidit, tum quos in resolutione chemici comprehendere, vim incredibilem, nisi concorrente, ut sic dicam, totius atmosphaerae nisu, ut in nostra sententia, vim unquam explicabunt, quemadmodum nec chemicorum principiorum operationes, quae proinde velut πραγματερα praे Atomisticis et Figuralisticis doctissimus Willisius ad explicandam fermentationem merito elegit. Idem Willisius libro de cerebro et nervis motum muscularum a displosionibus innumerabilium sclopatorum intensibilium deducit. Recte omnino et huic Hypothesi congruerit; haec autem insensibilia sclopeta quid sunt, nis bullulae jam exhaustae, jam distentae, inter se mixtae et ruptae. Unde ad re-conflanda et redonanda perpetua respirationis velut antlia et folle opus. Figuris muscularum quomodoque suppeditatis, nunquam illam vim, illum fortissimum nisum explicur, quem quotidie in nobis ipsis experimur. Idem erit, si cum eruditissimo Lowero muscularum motum explices per fortissimam contractionem utrinque in contrarium factam; nam nec tanta vis contrahens vel restituens aliunde arcessi potest.

58. Unde constat, quae vis, origo et ratio trium illorum augendae in corporibus augendae, seu gravis per leve levandi fundamentalium: distantiae a centro, impetus a lapsu, et denique nisus a certa quadam rerum specie, ut animali, ut pulvere pyro, ut magnete, ut veneno aliquisque exerciti, quo per miraculum quasi quoddam a minimis maximae res geruntur, de quibus supra §.20; ut enim illa a celeritate gravitationis, ita haec a vi Elateris, rursum autem et gravitas et elater a circulatione aetheris turbata oriuntur, hoc solo discrimine, quod in gravitate ef-

ficienda aether movet rem, in elatere se ipsum; in gravitate se restituit in locum suum, in elatere, quod plus est, se restituit in gradum suum statumque raritatis, de quo erat disturbatus. Nam aether circulatione sua res justo densiores aut dispergit, aut cum non potest, deprimit: ex hoc oritur gravitas, ex illo Elater. Desiderant omnes philosophi recentiores physica mechanice explicari: id hic perfecte praestatur. Quemadmodum enim omnia natura ex hypothesi nostra, ita et omnia artis horologia et machinae a consensu communis vel ex gravitate vel ex Elatere vel ambobus junctis pendent. Ex gravitate omnia horologia, in quibus naturalis ponderis alicujus gravitas vectibus, rotis, trochleis, cochleis tardatur; et haec quidem id commodi habent, quod durabilia et constantia et accurata esse possunt, quia naturalis ad descendendum impetus nunquam lassatur, possunt item aequa facile exhiberi in magno opere, quam modulo parvo; sed in commodum subest, quod jactari et de loco in locum transferri sine gravitatis jactura commode non possunt, quia jactatio facit, ut nonnunquam sint in plano ad horizontem inclinato, quo casu minus gravitant; unde et in mari eorum usus turbatur. Ex vi Elasticia pendent horologia illa minoria portatilia vi quadam tendenda: haec contraria prioribus rationem habent, nam id commodi inest, quod sine gravitatis jactura transferri possunt hoc illuc; sed contra illud incommodi, quod in loco etiam priore relicta lassantur tandem, ut arcus diu tensus, et pro vi tendentis inaequali aeris mutationibus variantur. Machinae, quas aqua profuens regit, pendent ex gravitate; quas ventus, partim ex gravitate partim Elatere aeris; quas fumus aut ignis, ex gravitate minore quam quae aeris est; quas homines aut animalia, ex Elatere. Nec facile motus naturalis aut artificialis, cuius ratio a circulatione lucis circa terram deduci non possit, reperiatur.

59. Notandum etiam, posse, imo debere non raro rerum cohaesione, sed secundariam et ortam et aliam prae-supponentem a gravitate aeris oriri. Constat enim experientia, duo plana aegre divelli posse, si exacte congruant, quia levaturo pondus atmosphaerae incumbentis vincendum est. Eadem ratio est in duabus curvis, imo in omnibus, quae se ultra quam in puncto tangunt, ut per lineam ad congruentiam superficie non parallelam divelli nequeant, nisi pondere cylindri aerei aequalis baseos ac planum congruentiae subtensum est, superato. Quia cum duo disce-



dunt a se, ita ut primo discessu plus intervalli relinquant, quam eodem tempore aer implere possit, quia scilicet superficies ingressus initio superficie discessus minor est (quod fit, quoties contactus est plus quam in puncto) plus spatii interim aera vacare ac proinde plus aetheris ingredi, atque interim atmosphaeram sive levare sive comprimi necesse est, concursu quadam gravitatis et elateris, nam utrum advoces perinde est. Atque ita credibile est in corporibus duris aut tenuibus consistentiam secundariam saepissime oriri, cum probable sit, pleraque amplius quam puncti congruere. Sed tamen haec consistentiae ratio aliam jam priorem ut dixi, praesupponit. Cum enim divellenda est superficies a superficie in linea non parallela ad congruentiam, manifestum est non impulsu hoc fieri, sed tractione, id est, pulsione rei alterius connexae, per ansam nimurum aliquam eminentiam in contrarium curvatam. Sed haec connexio jam consistentiam supponit v. g. si duas tabulas summe politas separare aliter quam parallelo impulsu, qui facilis, voles, necesse est ex superjacente ansam ei connexam vel aliud, quo apprehendere eam possis, eminere. Quae cur connexa sit, ratio reddenda est. Non potest ergo cum Democriticis ultima consistentiae ratio a congruentia ista vel, ut nonnulli alterius scholae loquuntur, a fuga vacui (a qua tamen reminime, sed a gravitate et elatere aeris potius oritur) peti; multo minus cum Cartesio a sola quiete, sed ex rei motu, vide sup. §. 2, II. etsi sensibiliores consistentiae ex compositis ejusmodi in omnem faciem tabulis, non nisi superata per istum impressum gravitate et elatere aeris discessuris, non raro oriri videantur. Certe a gravitatis elaterisque principio vis restitutiva in corporibus, compressorum explicatio, diductorum reductio sui, ad sensum spontanea, partim per memorata, partim per memoranda duci debet. Sentimus autem hanc vim non tantum in liquidis vase clausis, ut aqua, aere etc., sed et in iis, quae sibi ipsi vasa sunt, id est, in consistentibus ejusmodi, quae neque absolute dura neque absolute molia sunt, sed medium quandam rationem habent. Nam liquidum est, quod terminos ab alio quoconque accipit, propriis caret, summa facilitate et separabile et transfigurabile. Durum est, quod contra habet. Flexible est medium inter liquidum et durum, quod separabile aut saltem transfigurabile est, sed non facillime. Ejusque species sunt glomerabile, quod etsi facillime transfigurari, non tamen et summa facilitate dissolvi potest, ut

filum lineum, sericum, aliaque id genus, quae non possunt melius, quam per catenam meritis annulis constantem, quorum unus in alio sit gyrabilis, explicari. Molle, quod parumper moratur transfigurantem, non reagit tamen. Tenax, quod valde moratur transfigurantem, et ei reagit, atque adeo dimissum se restituit. Liquidum per se facilis notio est, cum partes libere sibi confusae sunt; Duri, cum instar tabularum planarum congruentium in omne sensible punctum plagamve compositae; unde et omnino non levatur tabula a tabula, vel si parum levetur, tota levatur: similiter dura aut non flectentur ad sensum (etsi credidem plerisque subtilem flexionem inesse) aut flexa omnino rumpuntur. Molle et tenax gradu differunt, utriusque igitur eadem causa. Tenax vel tendibile simul seu se restituens, vel tantum simpliciter ductibile est, ut cera, pix. Simplex ductilitas consistit in perpetua per omne punctum sensibile implicatione et insertione in se invicem funicularum, tubularum, fistularum, scatularum, convolvolorum, vasorum, aliorumque, quae diductionem non impugnant quidem, differunt tamen, modo non nimia implicatione sistant, quam in quibusdam duritiae causam intelligere licet, ut instar filorum glomeratione confusorum, nodo facto, mox non nisi ruptura solvantur. At in simpliciter ductilibus nulla unquam confusio sequitur. At in duplicitate sibi invicem tubulis semper minoribus, sibi in omnes plagas aequaliter et concave et convexa per innumerabiles duplicaturas insertis, donec nimia diductione et nimia sequatur attenuatio, et contingat ruptura. Nec mira cuiquam haec insertioni videri debet, cum omnis fere subtilis accretio fibratim per has duplicaturas perque suspicionem intimam tubiformem potius, quam appositionem extimam alimenti fiat. Tensione addit insertioni tubularum, ut sint in eo latere, quo alium accipiunt, occlusi; in altero, quo alteri inseruntur, aperti: quo facto vicem praestabunt embolorum ad sensum infinitorum, nam etsi embolus hoc loco cavus et apertus sit, qua exhaudenti vas pneumaticum obvertitur, sufficit tamen cum affirmatum esse, qua parte opponitur vasi: diducta jam re, his tabulis instructa, necesse est eam difficultatem in diducendo proportione sentiri, quae sentitur in embolo extrahendo, dum aerem vasis pneumaticis exbaurimus; et remittente vi diducantis rem tensam necesse est eadem vi se restituere, qua embolus inter extrahendum subito dimissus a vase resorbetur. Hac tensionis in omnes embolos insensibiles sibi con-



tinue insertos, inaequaliter tamen, pro distantia, propagatae causam
nil clarius, nil facilius, nil hypothesi nostrae consentaneum magis.
Et credibile est, in corporibus, ut vim circulariter diffusam
ruptis bullis, ita in longum latumve aut profundum porrectam
evenire a tubulis istis seu embolis (nam quilibet eorum antecedent
est tubulus, sequenti embolus) ultra quam status aëris aetheris
circulatio fert, vel, ut diximus, eductis; vel etiam, ut illinc eductis
ita hinc intrusis, uti in arcubus, qui a concavitate ad convexitatem
vel contra flectuntur, fieri par est; ubi etiam humoris aiequius
intra meatus jam interclusos illinc compressi, hinc dilatati, resti-
tuendi se comatus nonnunquam intercedere potest. Huc et lacry-
mæ vitri, quibus similia sunt ab eruditissimo Joh. Ottio Schaf-
husano (qui cum doctissimo Henrico Sreta studiorum socio duo
mobilissimos sensus, ille visum, hic auditum nuper illustravit) ob-
servata filamenta vitri, pertinent: de quibus cum tot exten-
sionibus, certum tamen est ad exhaustum vel distentum, id es-
circulationem aetheris, id est hypothesis nostram omnes reduci
Hobbius eas ex arcubus tensis componit, Vossius vacuum vel quas
vacuum intus esse ait, Honoratus Fabri spiritum quendam tensum
(instar funiculi Francisci Lini), Huddenius aliquo compressionem
praeferunt: Hypothesis nostra non parvo veritatis indicio omnes
conciliat. In arcu tenso hinc compressio, illinc distractio est: ubi-
cunque aër distrahitur, aether colligitur. Cum ergo lacryma calens
aque immergitur extinguiturque ignis, qui in omni re calefacta
aërem discutit expellitque, contraria aqua comprimitur, vel quod
idem est, acido ignis ab alcali aqua subito absorptio, aether re-
plendo loco attrahitur colligiturque in bullas illas ductusque totum
vitrum innumeralibus cuniculis perforantes, coéuntam tamen omnes
in apice, quo lacryma in aquam postremo intravit, quorū se
ignis jam ab initio recipit, prorsus ut virgæ ferreæ uno extremo
candente extincto alterum incandescit: omnes ergo cuniculi isti, qui-
bus velut minis, ut vocant, totum vitri corpus suffossum est,
aethere seu, ut alii vocarent, vacuo vel nihil pleni sunt, instar
vitri exhausti, instar aeolipilæ, in qua calore rarefactus expulsus-
que aër negato obturazione foraminis post refrigerationem reddit
multum vacui, id est, justo plus aetheris collecti, intus reliquit.
Hic vero nihil aeolipilæ, subito refrigeratae obturataeque exempli
congruentius. Aperto igitur apice, vel alia bullæ cum caeteris om-
nibus communicante, aetherem collectum cum magna vi exire,

aërem intrare, cuniculos autem omnes, quippe tam subtilem fragi-
lesque rumpi, vitrum ergo in pulvrem violenter dissilientem abire
necessè est. Unde patet quoque cur frigore aucto, ut si nive se-
peliat, fortior, si ignis calore retractetur, debilior sit ruptura.
Nam frigus, quod initio fecit loci (vasorum quippe, hoc loco, vitri,
lateribus se contrahentibus et imminuentibus) subitum incremen-
tum, ergo locum aëre vacuum, ergo aetheris collectionem, et po-
rorum, quippe corpore contracto, obstructionem auget. Igne novo
impletur locus, minuitur aether, admittitur aëris, pori aperiuntur.
Patet ergo hoc quoque naturae miraculum Elateri Aetheris de-beri.
Motus sanguinis, unde caeterae functiones animales profici-
scuntur (cor enim motum debet sanguini, non, ut Cartesius putabat,
sanguis, cordi) sine dubio a nitri cojusdam aërei respiratione re-
cepti reactione petendus est. Credibile enim est, ut mare sale,
ita aërem nitro quadam imprægnatum esse. Unde aëris semel
haustus nisi recenti misceatur, novo haustui est inutilis, idque et
Drebelii experimento confirmatur, qui essentiam quandam aëris pa-
rabat, quæ aëri etiam torpido et insalubri instillata, vivificam quan-
dam refrigerationem confestim praestabat. Jam si motus vita-
lis a reactione est, erit ab Elatre, per superiora, ergo ab aetheris
circulatione. Ab eadem esse Motum Oceani in tellure, analogum
Sanginis circulatione in corpore, supra dictum est: idem est de
motu aëris seu vento. Constat ventum aqua se lapsu dispergente
fieri arte posse, idem credibile est naturam saepe facere in mon-
tium cavernis; folles ventum faciunt compressione, eodem modo
nubes gravidae descensu suo elidunt aërem inter se et terram.
Simplex quilibet motus in aëre facit ventum, quia aërem ictu com-
primit, ac proinde loco replendo aliud attrahit. Ignis facit ven-
tum, et calor quivis, quia omne rarefaciens attrahit aliud sub-
tilius rarefacto, replendo loco exhausto, idque ex illo, toties incul-
cato principio Elateris. Unde ignis aëre indiget, non ad pabulum,
sed tuendum locum. Hinc stati venti intra Tropicos solum se-
quentur, loca clausa, fornicate tempula, cavernæ tempore frigido
attrahunt aërem seu ventum, quia sunt aëre ambiente calidiora;
tempore ambientis calido, quia tunc frigida, remittunt. Hinc stati
certorum locorum ac temporum Venti: addenda in hoc negotio
doctae Pouletti observations. Vapores proprie sol non attrahit,
et eorum ascensus non tam pendet ex principio Elateris, quam
gravitatis, nam quod ignis, fumus, vapor, ros majalis ovi putamine